

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Nachträge und Berichtigungen zu Bd. 1 - 3. Register zu Bd. 2, 3 und 4,1

Schulte, Aloys

Straßburg, 1898

1248

[urn:nbn:de:bsz:31-326727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326727)

133. Innocentius IV papa . . . abbati et conventui monasterii Novillarensis ordinis sancti Benedicti, Argentinensis diocesis, supplicationibus ipsorum et magistrorum consulum et universitatis civium Argentinensium inclinatus indulget, ut, postquam Santoro et Symoni, nato nobilis viri Lodewici advocati de Liethenberc, de beneficiis debitis fuerit provisum, magistro Gervalco de Argentina clerico suo, qui monasterio dudum servierit fideliter, preferentes eum sex aliis clericis, in ecclesiastico beneficio competenti providere possint.¹ «Ex parte vestra.» datum Lugduni nonis februarii anno quinto. 1248 Februar 5 Lyon.

V aus Reg. Vat. tom. 21 fol. 503^v.

Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 3601. Rodenberg Epist. pont. Rom. II nr. 492.

134. Innocentius IV papa . . . episcopo Argentinensi ad preces nobilis viri Henrici de Tengen devoti ecclesie mandat, quatinus cum Ulrico clerico Argentinensi dispenset, ut non obstante defectu natalium, quem patitur de presbytero genitus et soluta, ad sacros ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam animarum habeat, obtinere possit, ita tamen, quod si ipsum ad episcopalem vocari contigerit dignitatem, illam nequaquam recipiat absque licentia sedis apostolice speciali. «ad faciendam dilecto.» datum Lugduni 2 idus februarii anno quinto. 1248 Februar 12 Lyon.

V aus Reg. Vat. tom. 21 fol. 511.

Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 3676. Bernoulli Acta pont. Helv. I nr. 433.

135. Innocentius IV papa . . . episcopo Argentinensi ad supplicationes H[artmanni] et H[artmanni] comitum de Kibure in presentia sua constitutorum mandat, quatinus cum Renaudo canonico Argentinensi, fratre nobilium virorum Corradi et Henrici dominorum de Tengen, qui dudum in ordine subdiaconatus existens cuidam vidue aliquandiu cohabitaverit, tandem ea abjecta ad clericalem ordinem sit reversus, dispense, ut in minoribus ordinibus ministrare valeat. «dilecti filii nobiles.» datum Lugduni idibus februarii anno quinto. 1248 Februar 13 Lyon.

V aus Reg. Vat. tom. 21 fol. 506.

Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 3628. Rodenberg Epist. pont. Rom. II nr. 498. Bernoulli Acta pont. Helv. I nr. 435.

136. Innocentius IV papa . . . episcopo Argentinensi obtentu Gebehardi capellani sui,² C[onradi] fratris ejus comitis de Vribure, et Henrici de Gerolseke, canonici Spirensis, nepotis electi Spirensis concedit, ut cum magistro Gervalco clerico Argen-

¹ Innocentius IV papa . . . episcopo Argentinensi mandat, quatinus abbatem et conventum Novillarenses super concessione prescripta molestari non patiatur. datum ut supra *Aus Reg. Vat. tom. 21 fol. 504. Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 3602.*

² *Vergl. für Gebhard die beiden Schreiben Innocenz IV an den Erzbischof von Köln von 1249 April 13 Lyon bei Berger nr. 4454 und 4460.*

tinensi illorum devoto dispenset super obtentis et obtinendis beneficiis ecclesiasticis, etiamsi curam animarum habeant. «etsi pluralitatem ecclesiarum.» datum Lugduni 12 kalendas martii anno quinto. 1248 Februar 18 Lyon.

V. aus Reg. Vat. tom. 21 fol. 511v.

Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 3683 Bernoulli Acta pont. Helv. I nr. 443.

137. Pabst Innocenz IV gestattet dem Abt und Convent der Abtei Maursmünster, ihren rechtserfahrenen Cleriker, den Magister Gervaleus von Straßburg, trotz andrer Verbindlichkeiten mit Pfründen zu versorgen. 1248 März 13 Lyon.

. . . Abbati et conventui Maurimon[asterii]-ordinis sancti Benedicti Argentinensis diocesis. exigentibus vestre devotionis meritis etc. ut supra usque exaudimus. cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, magister Gervaleus Argentinensis clericus vester, in canonico et civili jure peritus, diu vobis et monasterio vestro servierit fideliter et devote nec possitis ei, qui jam mature etatis existit, providere absque gratia nostra in beneficiis ecclesiasticis, cum sitis Walrammo de Gerolsecke, canonico Argentinensi, et aliis quinque clericis ad mandatum sedis apostolice obligati, nos venerabilis fratris nostri . . . episcopi Argentinensis et vestris supplicationibus benignum impertientes assensum providendi eidem magistro, postquam fuerit eidem canonico provisum in ecclesiastico beneficio, quod ad collationem vestram pertineat et consueverit clericis secularibus assignari, non obstante, quod alias beneficiatus existit, vel alias scripsimus pro eodem, si eidem episcopo hoc vestro monasterio videbitur expedire, plenam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem, proviso ut postea provideatis predictis quinque clericis, ut tenemini, cum ad id obtulerit se facultas, nulli ergo etc. nostre concessionis etc. datum Lugduni 3 idus martii anno quinto.

V. aus Reg. Vat. tom. 21 fol. 522. Angefügt der Vermerk: datus est super hoc conservator dictis abbati et conventui episcopus Argentinensis sub eadem data
Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 3800.

138. H[einricus] Argentinensis episcopus omnia, que B[erhtoldus] predecessor suus, Argentinensis episcopus, cum illustri viro H[artmanno] comite seniore de Kiburg super patrimoniis suis disposuit, quorum proprietatem predictus comes ecclesie Argentinensi contulit et mox ab eadem tam ipse quam filius fratris sui in feudum receperunt, secundum quod instrumenta super hoc scripta continent,¹ rata habet et auctoritate sua confirmat. «quoniam vigor humane.» datum apud Argentinam anno domini 1248, 17 kalendas maji. testes: fratres M. prior et C[unradus] de Aquis²

¹ Vergl. UB. I. 218 nr. 287 u. nr. 55.

² Cōnradus de Aquis et Hugo junior de Argentina erscheinen als Dominikanerbrüder in einer Züricher Urkunde von 1246 April 4, ebenso C. de Aquis und Johannes de Argentina in einer Urkunde von 1246 August 24, ferner frater Hugo Argentinensis de ordine predicatorum in Turego in einer Urkunde von 1243 Februar 13. Vergl. UB d. Stadt u. Landschaft Zürich II. 142 nr. 637; 147 nr. 642 u. 81 nr. 576.

ordinis fratrum predicatorum, R[einhardus] de Tengen et C[onradus] de Loufen canonici ecclesie Argentinensis. 1248 April 15 Straßburg.

Aus UB. d. Stadt u. Landschaft Zürich II, 209 nr. 732 nach d. Or. i. Hofarchiv Turin.

139. Pabst Innocenz IV trägt der Aebtissin und dem Convent der Abtei [Erstein] auf, den Canonicus des St. Thomastiftes zu Straßburg Werner von Wolzheim mit einer entsprechenden Pfründe zu versorgen. 1248 Mai 26 Lyon.

. . . Abbatisse et conventui de Orsterhere^a ordinis sancti Benedicti Argentinensis diocesis. ad faciendam dilecto filio Wenero de Wolfgangeshere, canonico ecclesie sancti Thome Argentinensis, gratiam specialem venerabilis fratris nostri . . . episcopi Argentinensis preces ac supplicatio dilecti filii Peregrini, procuratoris sui, necnon merita ejusdem canonici et suorum devotio, quam habent ad sedem apostolicam, super quibus eis testimonium perhibetur laudabile, nos inducunt. rogamus itaque universitatem vestram attentius et monemus firmiter precipiendo mandantes, quatinus eidem canonico in parrochiali vel alio ecclesiastico beneficio, quod ad collationem vestram pertineat et consueverit clericis secularibus assignari, curetis pro apostolice sedis et nostra reverentia liberaliter providere, non obstante, quod idem canonicus alias beneficiatus existit, vel si alias scripsimus pro eodem aut si pro aliis vobis direximus scripta nostra, quibus eum in assecutione beneficii preferri volumus de gratia speciaii, vel indulgentia, si qua vobis est ab apostolica sede concessa, ut compelli ad provisionem alicujus per litteras apostolicas non possitis; alioquin eidem episcopo damus nostris litteris in mandatis, ut ipse super hiis mandatum apostolicum exequatur. contradictores etc. datum Lugduni 7 kalendas junii anno quinto.

V aus Reg. Vat. tom. 21 fol. 537.

Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 3934.

140. Innocentius IV papa . . . episcopo Argentinensi mandat, quatinus Ulricum clericum, natum nobilis viri Eberardi de Erendorf ecclesie devotissimi, in quem gratiam factam quondam Hermanno clerico fratri Ulrici vult omnino refundi, juxta continentiam litterarum, quas decano et capitulo Argentinensibus necnon abbati et conventui monasterii de Wissenburch ordinis sancti Benedicti Spirensis diocesis super Hermanni provisione direxerit,¹ in canonicum et in fratrem Argentinensis ecclesie recipi ac ei conferri prebendam et ab eisdem abbate et conventu de beneficio faciat provideri. «intellecta puritate devotionis.» datum Lugduni 3 kalendas junii anno quinto. 1248 Mai 30 Lyon.

V aus Reg. Vat. tom. 21 fol. 535.

Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 3915. Rodenberg Epist. pont. Rom. II nr. 571.

a) oder Orsterhere? Wohl eebalkwast für Erstein.

¹ Vergl. die Bulle von 1247 April 18 Lyon i. Reg. Vat. tom. 21 fol. 391 bei Rodenberg Epist. pont. Rom. II nr. 325. Berger nr. 2694.

141. Innocentius IV papa P[etro] sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali apostolice sedis legato mandat, quatinus opem et operam det, ut Henricus de Gereldeseke Basiliensis et Argentinensis canonicus, cum ad episcopatum dicatur idoneus, in aliqua ecclesiarum Theutonie in episcopum assumatur. «etsi.» datum Lugduni 6 idus julii anno sexto. 1248 Juli 10 Lyon.

*Aus Bernoulli Acta pont. Hele. I nr. 498 nach Reg. Paris. Inn. IV a. 6 fol. 2.
Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 4118 Potthast nr. 13423*

142. Innocentius IV papa . . . abbati et conventui monasterii de Scutira ordinis sancti Benedicti Argentinensis diocesis mandat, quatinus Peregrino canonico ecclesie sancti Thome Argentinensis juxta promissionem suam in competenti ecclesiastico beneficio providere curent; alioquin . . . episcopo Argentinensi injungit, ut mandatum apostolicum exequatur. «cum [sicut] dilectus.» datum Lugduni 5 kalendas octobris anno sexto. 1248 September 27 Lyon.

Aus Berger Reg. Inn. IV nr. 4169 nach Reg. Paris. Inn. IV a. 6 fol. 7^o. Potthast nr. 13460.

143. Innocentius IV papa . . . thesaurario ecclesie sancti Petri Argentinensis mandat, quatinus Hugonem canonicum ecclesie Turicensis, clericum [Willelmi] regis Romanorum, non permittat super beneficiis suis molestari. «dilectus filius Hugo.» datum Lugduni 2 idus novembris anno sexto. 1248 November 12 Lyon.

*Aus Bernoulli Acta pont. Hele. I nr. 502 nach Reg. Paris. Inn. IV a. 6 fol. 11^o.
Darnach Berger Reg. Inn. IV nr. 4212. Rodenberg Epist. pont. Rom. II nr. 605. Potthast nr. 13078.*

144. Pabst Innocenz IV bewilligt den Schatzmeistern der Dom- und St. Peterskirche, sowie den Pfarrern der Parrochialkirchen von St. Martin, St. Stephan und St. Andreas zu Straßburg, daß innerhalb ihrer Sprengelgrenzen kein kirchlicher Neubau ohne Zustimmung des Bischofs und des Domcapitels von Straßburg aufgeführt werden darf. 1248 December 2 Lyon.

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis majoris et sancti Petri ecclesiarum thesaurariis et sancti Martini, sancti Stephani et sancti Andree parochiarum plebanis Argentinensibus salutem et apostolicam benedictionem.¹ exigentibus vestre devotionis meritis votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum deo possumus, favorabiliter exaudimus^a. vestris itaque supplicationibus benignum impertientes^b consensum autoritate presentium vobis indulgemus, ut

a) B extendimus. b) B impertem.

¹ Vergl. UB. I, 243 nr. 326 sowie Anmerk. 1 u. 2.

nullus infra thesauriarum et parrochiarum vestrarum limites sive fines aliquod oratorium sine assensu et voluntate venerabilis fratris nostri episcopi, decani et capituli Argentinensium construere valeat vel illic etiam se transferre, non obstantibus aliquibus indulgentiis seu privilegiis seu aliis quibuscunque literis ab apostolica sede vel legatis ipsius impetratis vel impetrandis. nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere aut ei ausu temerario contraire. si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. datum Lugduni 4 nonas decembris pontificatus nostri anno sexto.

¹⁰ *B aus Straßb. Bez.-A. G 4903 Statutenbuch v. St. Peter fol. 26.*
Nach Reg. Paris. Inn. IV a. 6 fol. 13^v Berger Reg. Inn. IV nr. 4227. Potthast nr. 13488.

145. Innocentius IV papa . . magistro civium consulibus et universitati Argentinensibus. ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod, cum tam a nobis quam a legatis nostris pro quibusdam filiis nepotibus et consanguineis vestris super ipsorum provisionibus diverse ad diversos littere emanarint, quia postmodum nos et iidem legati aliis gratiam tam in genere quam in specie fecisse dicimur, ut predictis debeant in provisionum assecutione preferri, vestrarum provisiones plus debito retardantur. quare [a] nobis humiliter postulastis, ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. nolentes igitur, ut hac occasione provisiones hujusmodi debeant retardari, eisdem filiis nepotibus et consanguineis vestris, dummodo in ecclesie devotione persistent, auctoritate presentium indulgemus, ut nulli, dummodo non sint beneficia assecuti, eis ratione predictae gratiae preferantur, sed sicut priores sunt per datam et presentationem litterarum ipsarum, ita in executione provisionum sint etiam potiores, non obstantibus aliquibus litteris a nobis vel eisdem legatis obtentis vel etiam obtinendis.¹ «exigentibus vestre devotionis.» datum Lugduni 4 idus decembris anno sexto. 1248 December 10 Lyon.

Aus Berger Reg. Inn. IV nr. 4350 nach Reg. Paris. Inn. IV a. 6 fol. 27^v. Potthast nr. 13120. Vergl. Urk. I 243 Ann. 1.

146. Innocentius IV papa . . archiepiscopo Maguntino et . . episcopo Argentinensi intimanti, quod, cum dudum ad preces suas P[etro] sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc in partibus illis apostolice sedis legato, litteris in mandatis dedisset,² ut Henrico de Geroldoseke, Basiliensis Argentinensis et Spirensis ecclesiarum canonico, nepoti . . electi Spirensis, in partibus Theutonie de episcopatu aliquo provideret, eodem legato antequam id fieret redeunte, idem canonicus nullum

¹⁰ ¹ Innocentius IV papa . . sancti Arbogasti et . . sancte Trinitatis ecclesiarum prepositis et . . decano sancti Thome Argentinensibus mandat, quatinus non permittant predictos filios nepotes et consanguineos supradictorum Argentinensium contra tenorem precedentium litterarum molestari. datum ut supra. *Aus Berger Reg. Inn. IV nr. 4351.*

² *Vergl. nr. 141.*